



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XXII. Ordo Montis Oliueti, per B. Bernardum Senensem cognomento  
Ptolomæum institutus anno 1320.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

S. Mariæ Lugdunense anno 1421. fundatū *Lion.*  
per Amadeum VIII. Sabaudia Ducem eius-  
que filium Ludouicum cū ampla dote, vt te-  
statur Paradinus lib. 3. cap. 7. Chron. Sabau-  
dia.

S. Mariæ Heuerense apud Louanium in *Heuer.*  
Brabantia an. 1521. fundatum, opibus Gui-  
lielmi Croij, Toparchæ Ceruensis; cuius ibi-  
dem tumulus magnificus spectatur cum alijs  
aliquot Ducū Arschotanorum ex gente Cro-  
ija.

S. Mariæ Rotomagensis anno 1445. per *Roem.*  
Carolus Regem Franciæ fundatum.

S. Catharinæ de Villario Salleti anno *Villers.*  
1460.

S. Mariæ Esclimontense an. 1448. funda-  
tum per Stephanum Rouchier tunc Baiocen- *Esclimōs:*  
sem, post Turonensem Archiepiscopum. Ita  
Choppinus lib. 1. Monasticorum tit. 2. artic.  
14.

## CAPVT XXII.

*Ordo Montis Oliueti, per B. Bernardum  
Senensem, cognomento Pto-  
lomæum, institutus  
an. 1320.*

**B**ernardus, antè Ioannes, Senis ex nobili  
Ptolomæa familia natus, à prima ætate  
K 3 literis

literis humanioribus, deinde legibus operi  
 dedit: quas & publicè factus Doctor summa  
 cum laude est interpretatus. Cùm autè publicè  
 habiturus disputationem in Academia Senensi  
 in grauè oculorù ægritudinem incidisset, S. *Virgine*  
 precatus est, vt sibi lumè & pristina  
 oculorum sanitatè restitueret, se ipsius fame  
 latui, relicto sæculo, perpetuò se addicturum  
 pollicitus Qui mox compos voti factus, locum  
 lectionis ac disputationis, grauem habuit  
 sęculi huius contemptu concionem, in maxi  
 ma auditorum, quibus, quæ sibi accidisset,  
 narrauit, frequentia. Nec mora, promissionem  
 suæ memor rudi amictu indutus, vrbeque  
 gressus se in Montem Oliuetum, apud Monte  
 tem Ilcinũ contulit: quem *Patricius* ex *Patricia*  
 familia, & *Ambrosi Picolomineus*, ambo no  
 biles Senenses, eodem proposito secuti sunt  
 Ibi ædificula cellulisque exstructis, ordinis fun  
 damenta iecit, facultatibus suis ei dicatis, as  
 peramque cœpit in ieiunijs, vigilijs, & orati  
 onibus vitam ducere; viditque intra  
 orandum scalam ad cœlos vsque pertingeren  
 tem, Angelosque descendentes monachum  
 albi vestitus per scalam ad ipsum Angelo  
 rum Regem, eiusque Genitricem candido  
 amictu fulgentes deducere conspexit. Cùm  
 autem multi in dies ad eum discipuli con  
 fluerent, ecce SS. viros æmuli quidam quos  
 hæreticos apud Ioannem XXI. Pontifi  
 cem Maximum Auenione agentem de  
 ferunt

ferunt, qui eos ad se extemplò accersit. Cum verò Pontifex ab ijs, quos Bernardus miserat, omnem vitæ eorum rationem, intellexisset, illos tanquam innocentes ad Guidonem Episcopum Aretinum, in cuius dicecesi erat locus (qui eis regulam præscriberet, approbaretque sodalitatem) remisit. Episcopus itaque, cum sibi sanctissima Deipara in fomis albis induta vestibus apparuisset, recentemque congregationem commendasset, illos inter Missarum solemnias in Ecclesia Cathedrali habitu candido, solemniter adhibita benedictione, die 21. Martij anno salutis 1319. induit, eisque Diui Benedicti Abbatis regulam seruandam præscripsit, congregationique *S. Mariæ Montis Oliueti*, & Ioanni nomen Bernardi indidit. Reuersi ad propria *Patricium*, Bernardo primatum detrectante, primum congregationis Oliuetanæ Abbatem elegerunt: quo defuncto in Domino, *Ambrosium*, eoque ex humanis sublato, *Simonem* tertio loco subrogarunt Senensem. Sed & illo sanctè defuncto, *Bernardus* regimen inuitus capeffere cogitur anno salutis 1322. Qui nihilominus nihil de vitæ suæ asperitate remisit assiduis orationibus, vigilijs, meditationibus, ieiunijs, alijsque carnis macerationibus intentus. Sub eo multis in locis exstructis cœnobijs sodalitas propagata est.

Denique Bernardus ubi sui ordinis confirmationem ab eodem Pontifice, Auenionem profectus, obtinisset, annosque 27. ei optimis legibus communito præfuisset, Senis, dum suis monachis pestilentia, quæ tunc grassabatur in ea vrbe, infectis, proprijs manibus inseruiret, & ipse percussus peste, spiritum Deo reddidit anno salutis 1348. XI. Kalend. Septembris. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex Chronico Ordinis Montis Oliueti. Corpus B. Bernardi asseruatur in Monte Oliueto magna cum veneratione.

Huius instituti Sodales alba vtuntur veste, habentque Præpositum Generalem non nisi triennem.

## CAPVT XXIII.

*Monachorum Ord. S. Benedicti varia  
Congregationes reformatæ.*

**I**Nter Congregationes varias monachorum Benedictinorum eminent *Cassinensis* apud Italos, *Vallisoletana* apud Hispanos, *Casalis Benedicti* apud Francos, *Olisiponensis* apud Lusitanos, & *Bursfeldensis* apud Germanos cum superiores, tum inferiores.

Cassinensis Congregatio, quæ & *S. Iustina de Padua* dicitur, circa an. 1408. aut 1410. per  
Ludo-